



**G**eorgius Fridericus natus est anno 1538, patre Georgio Marchione Brandēburgico & Burgrauio Norinbergēse, atq; matre Aemilia ducissa Saxoniae. Is à teneris annis literarum principia atq; religionis fundamenta feliciter percepit, atq; omnibus futurae indolis indicia fecit. Cum autē pater ipso adhuc puero, & uix octenni moreret, aliquandiu sub tutoribus egit, atque sese in omnis generis uirtutibus exercuit. Hinc factū ut in ijs bellis, quibus Germania concussa fuit, Georgij Friderici ditio quieuerit, & neutrarum partium extiterit. Pari ratione postea, cum Albertus patruelis funesta bella cum uicinis exerceret, Georgius Fridericus pa-

cem coluit, atq; adolescens adhuc intellexit Poëtae dictum: Nulla salus bello pacem te poscimus omnes. Cum autem Albertus multitudīne hostium ditio ne pelleretur, Georgius Fridericus cum Christophero Vuirtēbergico suo sororio, atq; Electoris Brandenburgensis & aliorum confœderatorum principum legatis, Augustae anno 1555 coram Ferdinando Cæsare in comitijs Imperij comparuit, atq; de Alberti hostium importunitate conquestus fuit, quod nimirum maximo suo detrimento Plassenburgum arcem diruerint, syluas exciderint, & homines ad patruelem & se pertinentes sibi iuramento obstrinxerint. Verūm eo tempore nihil effici poterat. Cum autem anno 1547 Albertus uita functus esset, Georgius Fridericus omnē eius ditionem recuperauit, atq; cum aduersarijs pacem inijt. Sicq; factum ut omnis superior Marchia Brandenburgensium ad solum Georgium Fridericum redierit, ut olim sub Friderico auo fuerit. hocq; pacto potentissimus princeps constitutus.